



boranda, explicata ad rationemque reuocata prouidus  
suae felicitatis Lector videat. Est enim hominis, Christi  
culturis, de eo Dei filio, in cuius nomine aliquando ipsi  
vita sit, \*) habere non errantem et vagam, sed certam  
atque stabilem sententiam. Repeto, me non desertae  
relietaeque rei patrocinium in hacce dissertatione suscep-  
pisse. Tantum enim abest, vt hominum interitu sen-  
tentiae quoque tales occidunt, qualis est illa, quae a  
nobis confirmatur, vt confirmatae ad aeternitatem vi-  
geant. Sed nihil hoc impedit, quo minus Christi ad-  
seclae de re admonendi saepe videantur, quam, dum  
spirare poterunt, deserere, nefas debent iudicare. Lu-  
cem auctoris interdum quoque desiderant. Vale ita-  
que, Beneuole Lector, et si forte non omne illud con-  
sequuti sumus, quod, vt tu quidem sentires, de hacce  
re doceri poterat; finem rogo, vt nostrum  
contempleris ipsique rei et voluntati  
nostrae faueas.

\*) Ioh. XX, 31.

SECTIO